Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



maxime vero quoad rerum justitiæ, tanta est, ut
æterna Veritas de Joanne asseveret: Si vultis reci-
pere, ipse est Elias, qui venturus est. Matth. XI, 14.

27) Luc. I, 8-23. Domus Zachariæ ubi
sita fuerit, quæritur. Epiphanius Vit. Prophet.
c. 43: Ὅτος ἦν ἐξ Ἱερουσαλὴμ ἐξ οἴκου Δαβὶδ
ἀνὰ μέσον ἐλαᾶν ἐν οἴκῳ Κυρίου. Orthodoxi erat
Jerosolymis e domo David in media portion in
domo Domini. Habemus proin locum nativitatis
Zachariæ, et genus ejus e domo Davidis, maternum
scilicet: nam paternum fuisse de domo Abiæ Sa-
cerdotis, certum est. At non perinde locum do-
micilii ejus habemus. Luc. I, 39. 40: Exsurgens
Maria abiit in montana cum festinatione in ci-
vitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ,
et salutavit Elisabeth. Domus ergo Zachariæ
erat in civitate in montanis seu monte Judæ po-
sita, et quidem in civitate sacerdotali; siquidem
Sacerdotibus, excepto Pontifice, domicilium perpe-
tuum nonnisi in civitatibus concessum erat a Jo-
sue cap. XXI, 9ff et seqq. designatis: dedit Jo-
sue civitates, quarum ista sunt nomina, filiis
Aaron per familias Caath levitici generis
(prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe
patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda,
et suburbana ejus per circuitum -- Dedit ergo
filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem,
etc. Zacharias igitur Jerosolymis quidem
prope templum natus, ubi tunc mater ejus de
stirpe David, et forte Jerosolymitana, moraba-
tur, postmodum tamen Hebrone domicilium
fixit. Vid. Baronius Appar. § 77 et seqq.

28) Sequor eorum sententiam, qui annum
Christi nascentis statuunt 4000 ab orbe condito,
non quasi omnino certam; sed quia ut
probabilem,
et pro hypothesi commodissimam. Vid. Joan. Berlins in Fund. Chronol. c. 10.

29) De die Annuntiationis et conceptionis
S. Joannis B. gravior nonnihil quæstio est. Joannes
Nicænus Archiepiscopus de festo Natalis Domini